

Vulgatus vocem bis posuerunt, qui tamen cognoverunt, quomodo Codex sacer legendus sit. Somnia vendis Franki, ut merito Tibi occinam: *O Coridon Coridon quæ te dementia cepit.* VVasmuthius & Jablonskius, quos sine omni ratione refutat Diacrit. §. 272. te longe oculatiores fuerunt, prior enim in commodiori naturalis consecutionis tenore, alter vero in forma vocum quæsivit. Cl. Abichtius rationem quærit in Syllabarum quantitate, & toni conformitate, adeoque cum utroque facile convenit. Sed hoc supra tuum captum. Excipit 4) *duplicem accentum etiam sensum duplicem indicare.* Et probat ex Michlal Jophi ad Gen. V. 29. quod rei significatæ propinquitas & amplitudo indicetur. En amplissimum erronearum opinionum castellum. Sed infra ostendetur quam absone ille verba verterit, & Judæo falsum & contrarium sensum affinixerit. conf. §. 16.

§. VII.

Dixerat porro Vir Cl. in allegata dissertatione, quod Coniunctivus haud raro aliquoties repetatur, ex quo colligit, omnes voces eo notatas submissa voce sine notabili distinctione olim fuisse lectas; Munachus enim suam vocem semper in lectione sequenti Distinctivo adjungit, nec prostat ratio, cur id non in omnibus locis fiat. v. g. Num. IX. 1. Et loquebatur Dominus ad Mosen in deserto Sinai. Si voces omnes Munacho notatas usque ad Sinai in lectione jungas, optimum sensum habebis; oratoribus enim in omnibus linguis usitatum est aliquot voces imprimis priores in pronuntiatione conjungere. Si vero accentus sunt lectionis signa, non video, cur istæ voces non conjunctim legendæ sint. Nunc audiemus Frankium excipientem §. 8. 9. *Talia exempla sunt paucissima, quæ si a Regula excipiantur, non hoc evertit Regulam, cum nulla Regula sine exceptione detur. Potuisset & alia exempla adducere de quibus vid. Diacr. §. 38. seqq.* Sed respondeo talia exempla esse plurima, cum nullus ferre sit Distinctivus, qui non plures sibi servos præmittat. Confer artem distincte legendi Cap. V. Et tanta exceptionum nubes, quæ artem difficillimam & intricatissimam reddit, Vir Cl. commovit, ut de universali Regula cogitaret, quæ nullis exceptionibus premitur. Si itaque dicamus Distinctivum sibi quandoque unum,